Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 15
Quelle:
Copyright:

nonicae. Josue c. 22. post verba v. 19. *Quod si putatis*, nescio cur, relictum est spatium pro verbis: *immundam esse. Psalmi* solis literis majusculis initiorum distinguuntur. *Machabaeis* praefixi sunt noti Prologi *Rab. Mauri* ad *Ludovicum* Regem et *Geroldum* Archidiac. Epistolis *Pauli ad Titum* et *Philemonem* interjecta est spuria *ad Laodicenses*, sola carens Argumento praevio. Testimonium I. *Joh.* 5. ita conceptum est: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in celo. pater uerbum. et spiritus sanctus. et hii tres unum sunt* (e margine inseritur: *et tres sunt*) *qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis.* Terminat *Codicem* Index Epistolarum et Evangeliorum in Ecclesia per annum legi solitorum, in quo dies *Roberti Abbatis*, et Index Vocum hebr. et graecarum; ille manu Sec. XIV.

IX.

U. 560 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 517. 8. paene quadro per duas columnas charactere valde minuto sed elegantissimo perscriptus, coloribusque illustratus et quondam *Joh. Fabri* Ep. *Vindob.* exhibet *Sacra Biblia* vulgatae Interpretationis Prologis *Hieronymianis* instructa, et quidem *Pentateuchum*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, IV. Libros *Regum*, *Paralipomena*, *Esdrae* L. I. *Nehemiam*, *Esdrae* L. II. nempe tertium apocryphum, *Tobiam*, *Judith*, *Esther*. Dein *Jobum*, *Psalterium*, quod inscribitur *Liber hymnorum uel soliloquiorum quadruplex dauid de christo*, *Parabolas Salomonis*, *Ecclesiasten*, *Cantica*, *Sapientiam* et *Ecclesiasticum*, tum *Isaiam*, *Jeremiam* cum *Threnis* et *Baruch*, *Ezechielem*, *Danielem*, XII. *Prophetas* minores, Libros II. *Machabaeorum* cum *Rabani* Prologis ad *Ludovicum Pium* Imp. et *Geroldum* sacri Palatii Archidiaconum. *Fol.* 425. p. 2. orditur Novum Testamentum a IV. *Evangelistis*. Succedunt *Epistolae Pauli*, *Actus Apostolor. Epistolae VII. Canonicae*, et *Apocalypsis*, cujus ultimae membranae a C. XIII. v. 11. excidere. *Gen.* III. v. 15. legitur: *Ipsa conteret caput tuum* &c. *Machab.* II. c. 12. v. 46. *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare* &c. *Job.* C. VIII. habetur Historia Adulterae. I. *Joh.* c. 5. v. 7. a prima manu sic: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in celo. pater verbum et spiritus sanctus. et hij tres unum sunt. et tres sunt, qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis.*

X.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3298 XIV. Folior. 368. f. max. per duas columnas pulchre exaratus, coloribus illustratus, et Librorum initiis deauratis, atque picturatis continet *Sacra Biblia* vulgatae Versionis. Labor Miniatoris perfectus tantum usque ad *Paralipomena* pertingit; hinc usque ad *Isaiam* sola figurarum linearis designa-